DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE SCORBUTO QUAM ANNUENTIBUS...

Luigi Moro

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE SCORBUTO

QUAM ANNUENTIBUS

MAGNIFICO D. RECTORE

AC CELEBERRIMIS FACULTATIS MEDICAE

D. D. DIRECTORE ATQUE DECANO

NEC NON

PRAECLARISSIMIS PROFESSORIBUS

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS MORO

DALMATA.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

AMANTISSIMO · PATRI

ET

FRATRIBVS · DILECTISSIMIS

AVCTOR

D . D · D ·

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed officium . . . . . .
OVID.

Infensum morbi genus, inter nautas communissimum, marique finitimis potissimum endemicum et in regionibus paludosis, *Scorbutus* est, qui in morbosa solidorum fluidorumque perturbatione, ab imperfecta ossimilatione pendente, consistit, an symptomatibus cutis asthenia, relaxationis in vasculari actione, irritationis membranarum mucosarum in lucem emergit, cum hoc ex causis, effectibus, ipsoque medela jam patent.

Scorbutus praecipuam et regiam suam sedem habere dicitur in regionibus septentrionalibus, qua de causa nec antiquis creditur fuisse cognitus; ast quod non tantas strages in locis calidioribus edidit, nec edere potuit.

Divisio Scorbuti.

Variae Scorbuti inveniuntur divisiones, et in primis respectu decursus dividitur in *acutum* et

chronicum; acutus dicitur, si celeriter decurrit, licet morbus in primis stadiis afebrilis sit, qualis in navigationibus protractis, obsidionibus nonnunquam est; *chronicus* qualis plerumque esse solet, si per menses extenditur.

Ratione complicationis dividitur in *simplicem*, si nullo alio morbo inquinatus est, et *complicatum*, qui aliis morbis conjunctus incedit, uti sunt: febres intermittentes, lues venerea, arthritis etc. Respectu rationis ad societatem humanam Scorbutus aut *sporadicus*, aut *endemicus*, aut *epidemicus* est. *Sporadicus* singulos homines adgreditur, et rationibus aetiologicis ad singulos homines restrictis debetur; *endemicus* integrae cuidam societati infestus, certis locis adhaeret, et potentiis nocivis adscribendus est, quae in certis terrae plagis generantur, qualis est in regionibus frigidis et paludosis; *epidemicus* autem a potentiis nocivis temporum vicissitudinibus provocatis oritur.

Phaenomena morbi.

In Scorbuti decursu, non interrupto, rite observato, tria stadia distinguuntur. Ineunte stadio primo, vix ex symptomatibus hunc morbum concomitantibus cum certitudine ad Scorbuti praesentiam concludere licet. Hoc malum incipit plerumque a lassitudine, totius corporis gravitate,

quae vesperi et mane, cum primum surrexerit homo, augentur.

Aegrorum facies alienatur tumetque, color genuinus et vividus dispergitur, luridus pallor cum flavo mixtus inhaeret, gingivae principio morbi vitiantur, pruriunt, calent, sub masticatione dolent, tument, spongiosae et lividae cernuntur, et pressione levi aut sub ciborum durorum comminutione sanguinem atrum facile fundunt, dentes splendorem amittunt et flavo imbuuntur colore, halitus modo peculiari foetet. Cutim, integro morbo durante, siccam, pallidam, lividam, in nonnullis asperam, in plerisque laxam et nitidam, de qua hinc inde squamulae furfuraceae decidunt, maculae colore, magnitudine et figura variabiles obsident.

Multis pedes circa malleolos eadem via ac in hydropicis vesperi et post exercitationem tumeut, quo tumore mane sequenti vix oculis patente, paulatim pedes e toto intumescunt, et crura a fuligine quadam decolorantur. Accedunt saepe hoc jam in tempore haemorrhagiae e naribus et aliis viis, et sanguis evacuatus tenuis brevi putreacit, et majorem seri quantitatem praebet. Pulsus sunt molles, debiles et afebriles; urinae profunde tinctae cito in putredinem ruunt, et evacuationes alvinae multum foetent. In secundo stadio materiae organicae, resolutione de die in diem increscente,

totius corporis simul debilitas ad altiorem evehitur gradum. Aegri adspectus cachexiam ulterius progredientem exprimit, cutis ex caeruleo subviridis, maculae numero increscunt et magnitudine extenduntur. Pectoris oppressione exasperata, respiratio cum magna aegrorum intentione absolvitur, et frequenter sub majori respirationis conamine, dum ipsi moventur, e lecto se se erigunt, aut dum aeri exponuntur libero, leipothymia corripiuntur. Magnam certe attentionem in hoc stadio merentur ulcera, cute contusa, vulnerata, vel ab alia causa quacumque laesa, frequenter in conspectum venientia.

Aegri ex gingivis, lingua, labiis, faucibus, porro per epistaxim, haemoptysim, vomitum cruentum, haematuriam, dysenteriam cruentam, metrorrhagiam magnam sanguinis corrupti, dissoluti atrique quantitatem fundunt. Gingivae tumidae foetentes a dentibus retrahuntur, exulcerantur et frequenter in gangraenam ruunt; halitus pessime olet; dentes nigro imbuti colore; dolorifici et adeo vacillantes, ut aegri vix panem mandere possint, in fine vel sponte vel levi tractione excidunt, saepiusque ipsa cum maxilla carie consumuntur.

Urinae turbidae, jumentosae, foetidae, in putredinem mox tendentes, oleoso obtectae cremore, hypostasim crassam, fuscam, interdum purpureo mixtam colore deponentes, plerumque sine

difficultate mittuntur. Ciborum adpetentia parum est imminuta; pulsus parvi, debiles, vacui, tardi, hinc inde inaequales quidem reperti, cum tanta vero materiae organicae dissolutione et virium lapsu nequaquam concordant. Scorbutici in tertio stadio summo versantur in periculo. Liquidae aeque ac solidae partes in statu semi-putrido inveniuntur, viriumque languor paralysi proximus est. Spiritus cum summa ducitur difficultate, dulores pungentes sub sterno aut ad pectoris latus intenduntur, accedunt leipothymiae insultus atque convulsiones, frigent extremitates et redduntur paralyticae. — Ossa magnam praeseferunt mollitiem et friabilitatem, incurvantur non raro rachiticorum ad instar, epiphyses et cartilagines ab iis secedunt, et exoritur caries aut spina ventosa. Evolvitur febris putrida; sudor frigidus, viscidus et foetidus e cute prorumpit; exulcerantur et destruuntur viscera et lethalis exinde sequitur diarrhoea.

Causae.

Scorbuti causae duplicis generis sunt: videlicet aliae *proegumenae*, aliae *procatharticae*. Ad priores aquae dulcis defectus, alimenta salina, morbi antecedentes, hypochondriasis, corporis habitus peculiaris, temperamentum phlegmaticum, constitutio debilis, tenera, laxa, et jam cachetica non

immerito enumerantur; causae aliae insuper quamplurimae ad hunc inducendum morbum concurrere possunt, inter quas aer principem tenet locum, si intense frigidus, aut calidus simulque humidus, oxygenio minus potens, phlogisticis et vaporibus putridis abundat, qualis plerumque aer paludosus, navalis, carceralis et castrensis est.

Huic morbo ansam quoque praebere valent cibi parum nutrientes, sive sint mere animales, uti caro diu asservata, putrescens, sicca, sala atque fumo condita, caseus salitus, acer et corruptus, butyrum salsum, pinguedo; cibi farinacei, non rite fermentati, panis porro e farina a vermibus corrupta, legumina insuper dura, pisa, fabae, olea pinguia, adnotari debent. Inter potulenta aqua diu asservata, putrescens, verminosa, salibus et aliis heterogeneis inquinata, aqua marina, vinum non rite fermentatum, cerevisia ejusdem indolis, spirituosa nimia quantitate consumta in causa sunt, cur Scorbutus evolvatur. Multis autem neglecta cutis munditiae, habitatio depressa, subterranea; humida, obscuraque huic morbo favent. Ad causas excitantes internas animi pathemata deprimentia, metus, anxietas, nostalgia, vita otiosa, febres intermittentes pertinaces, lentae, cachexiae variae, exanthemata chronica, humorum jactura, obstructiones, atque id omne quod processum digestionis et sanguificationis retardat, referri possunt.

Quid vero dicendum de proxima Scorbuti causa? Alii humorum putredine, alii acrimonia specifica, muriatica, alcalina aut acida, alii solidorum laxitate, et alii debilitate directa morbi naturam illustrare conantur. Juxta sententias autem recentiorum clarissimorum virorum causa Scorbuti proxima in sanguificatione morbosa, et in peculiari sanguinis qualitate consistit; alii autem dicunt, morbi naturam in systematis irritabilis incitationis languore, ac in majori humorum, in primis sanguinis, indole phlogistica esse quaerendam.

Prognosis.

In hoc morbo fausta prognosis statui potest, si pulsus fortiores fiunt, aegri pedibus insistere aeremque liberum absque leipothymia perferre valent; si cutis antea sicca et stricta emollitur et leviter transpirat, alvi obstipatio solvitur, si haemorrhagiae silent, ulcera depurantur, maculae cutaneae pallescunt, et urinae clarae evacuantur. Dubium autem reddunt aegri statum insignis virium lapsus, pulsus debiles; parvi, molles, vacui et inaequales, magna animi prostratio, ulcera putrida et gangraenosa, hydrops, dyspnoea notabilis et leipothymiae frequentes.

Therapia.

Morbis, quibus Scorbutus suam debet originam, rationalis therapia opponi debet. Ante omnia causae remotae tollendae sunt; inde actionem cutaneam restaurare, moderate motum circulationis accelerare, irritationem membranarum mucosarum, cum evenit, sedare, apteque aegrum enutrire necesse est. Aer, cum principem locum inter potentias nocivas teneat, praecipuam meretur attentionem, qui semper purus, moderate calidus, siccus et oxygenio potens sit oportet. Victus in genere sit nutriens, facile digerendus, antisepticus et leniter stimulans; e regno animali conducunt jura carnium concentrata, quibus simul vegetabilia admisceantur, ova sorbilia, carnes succulentae, teneriores, recentes et bene coctae, serum lactis in primis caprinum, quae omnia non solum, sed cum vegetabilibus simul juncta in usum trahenda sunt. Salubriorem scorbuticis victum vegetabilia succulenta, recentia et acidula largiuntur, quae non tantum cibum bonum et eupeptum constituunt, sed etiam dum comeduntur, in ventriculo acidae fermentationis speciem incboant, quae dissolutionem materiae organicae cohibentia, medicamenti simul vices gerunt. Referuntur huc omnia olera recentia, endivia, brassicae, spinacea, asparagus,

rapae, acetosa, cochlearia officinalis, armoracea, raphanus sativus, sinapis, nasturium aquaticum et hortense, beccabunga, allium, caepa etc. Aqua usitatissimus hominum potus sufficiens, recens, frigida et pura sit oportet. Praeter aquam, alia adhuc potulenta scorbuticis conveniunt: succus betarum rubrarum acescens, decoctum malthi, cerevisiae variae, mustum, vina acidula, mixtio aquae cum saccharo ac succo citri. Homines, qui abusu medicamentorum Scorbuto correpti sunt, ab iis abstineant. Cubilia subterranea, humida et obscura commutanda sunt cum altioribus, siccis et lucidis; et si res domesticae concedunt, regionibus frigidis et humidis derelictis, calidae et siccae petendae sunt. Animus aegri tristis sensuum externorum occupatione et similibus erigendus erit. Nimia virium corporis et mentis intentio moderanda est.

Opponimus cachochymiae scorbuticae, quae in sanguificatione morbosa et peculiari sanguinis qualitate consistit, methodum roborantem, stimulantem et antisepticum.

Si haemorrhagiae passivae in conspectum veniunt, tunc acida mineralia conveniunt. Ad remedia externa, quae in Scorbuto cum emolumento adplicantur, pertinent frictiones, balnea subfrigida simplicia aut aromatica, lotiones totius corporis cum aqua, aqua et aceto aut acido minerali, a-

ceto aromatico, vino, spiritu camphorato, quater aut quinquies de die ab ipso aegro institutae. Scorbuto superato sanitatis integritas nondum penitus est restituta, sed functionea languorem et organa substantiae organicae jacturam adhuc praeseferunt, quae ut restituantur, reconvalescentia rite promoveri debet.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Hygiene publica subsidiis pollet, quibus choleraae morbi ulteriorem propagationem limitet.

II.

Vita adhuc vigente, sanguis in veram putredinem ruere nequit.

III.

Sanguinis missio est plurimorum morborum salutare auxilium, et inter remedia universalia praecipuum.

IV.

In Scorbuto methodus antiphlogistica minima usurpanda est.

99 938649